



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

14. Januarij.. Ille Religiosi nomen implere se credat, qui integrè non solùm
à sæculo liber fuerit, sed etiam à se ipso. S. Ignat. vitæ l. 3. §. 38.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Illud attende : parte contentus non est, totum, quod habes, imò quod es, exigit Deus. Da; tua non das; qui dedit omnia, repetit omnia. Cur ex alieno illiberales simus?

14. Januarii.

Ille Religiosi nomen implere se credat, qui integrè non solùm à saeculo liber fuerit, sed etiam à se ipso. S. Ignat. vitæ l. 3. §. 38.

O Magnum Religiosi nomen! grandis prærogativa! cui tot privilegia principes, tot præmia Deus præparavit! sed ut nomen hoc impleatur, multa, eaque minimè vulgaria exigit.

Ingens Religiosorum est copia, si numerentur, fortè non ita grandis, si ponderentur. Si testimonium, & fidem vestis faciat, innumeri, si sola facta, ut decet, vocem inveniant, utinam plures!

Magnum quidem est, & suâ laude dignum; Christi amore res, & spes rigoroso pede conculcasse: verùm nisi se ipsum cum omnibus concupiscentiis suis reliquerit; mundum in Religione quærit.

Quid

Quid juvat Christum sequi, si non detur
consequi ; Qui vult venire post illum, ab-
neget semetipsum. Omni affectu vacuum
te vult Deus, si vel modico teneris, actum
est. Partem in utramque claudicabis, ve-
ste religiosus, mente secularis.

15. Januarii.

*O mi Deus! si te nōssent homines! S. Ignat.
vitæ l. 4. c. 28.*

OMnis homo naturaliter scire deside-
rat ; hinc tanta in multis studiorum
aviditas, ut præ rerum cognitione opes
contempserint, & honores. Sed ô vana
mortalium studia, ut quid diligitis vanita-
tem, & quæritis mendacium ! Sapientia
hujus mundi stultitia est apud Deum, si ea
non ad unius Dei cognitionem dirigatur.

Frustra fatigamur, ætatem terimus,
quantùm discimus, tantùm, & ampliùs
ignoramus ; tenebras, non lucem, adeptu-
ri, donec in Dei cognitione, &, qui inde
sequitur, amore verè, solidèque docti esse
conemur.

Nec ingenti hìc acumine, nec subtili Ma-
gistro, nec grandi opus est Bibliothecâ ;
si-